PRO S. DIONYSII AREOPAGITÆ PRIMI PARISIORUM EPISCOPI PANEGIRICO.

MONITUM.

Non latet, eruditos horum temporum Criticos in dubium revocare ampliſſimum Galliæ honorem, negantes unum ex vetuſtiſſimis Regni hujus Apoſtolis, S. Dionyſium Areopagitam fuiſſe; ſed creditum fuit adhærendum eſſe Romani Martyrologii, eiuſdemque Romanæ Eccleſiæ ſententiæ, & horum temporum Criticem poſthabendam eſſe traditioni, quæ ultra ducentos, & mille annos viguit, & auctoritati eruditiſſimorum virorum, qui octavo ante hanc diem ſæculo floruerunt; ipſius etiam Pariſienſis Concilii, & unanimis conſenſus Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ, quemadmodum annalium Pater Baronius in notis ad Martyrologium animadvertit.

Nec latent quidem conatus, quos iidem Critici exeruerunt imbecillis innixi conjecturis, ut gloriam ſcriptis adeo divinis comparatam, quæ univerſa vetuſtas a ſancto Dionyſio conſcripta fuiſſe confeſſa eſt, in alium, ignotumque Auctorem conferrent, qui cum poſſet apud poſteros promereri æquiſſimam laudem, nomen ſuum operibus affigens, & non vulgarem gloriam, alterius nomen eſſet mutuatus ſine cauſſa, ſine utilitate, ad Eccleſiam fallendam, cum verſutia non ſatis digna Auctore ſuo, qui ſibi non minorem promeritus eſt exiſtimationem, & laudem, quam per admirabilem ſcientiam, quæ in omnibus ſcriptis ejus collucet.

Itaque Oratori, qui exornandum aggreditur S. Dionyſii panegyricum, quin in hac permaneat controverſia, perſuaſum eſſe debet, Eccleſiæ, plurium Conciliorum, & plerorumque virorum ſententiam, qui æque ſaltem eruditi, prudentes, & perſpicaces ſunt, ac nuperi id genus Critici, anteferendam eſſe recenti opinioni, quæ fautores ſuos non ideo meliores efficeret, licet eos redderet eruditiores. Hinc his neglectis proferemus in lucem quidquid collegimus de converſione, miſſione, & martyrio ſancti Dionyſii Areopagitæ Galliarum Apoſtoli, & primi Lutetiæ Pariſiorum Epiſcopi.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Synopſis Sermonum hujus argumenti.

Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt; in quibus & Dionyſius Areopagita. Act. 17.

I. Poſito hoc hiſtorico facto, quod a S. Luca narratur, innixi traditioni immemorabili, a S. Sede confirmata, aſſerere poſſumus Galliarum Apoſtolum, & primum Pariſienſem Epiſcopum fuiſſe celeberrimum S. Dionyſium, unum ex perſpicaciſſimis Areopagi luminibus, qui adhærens doctrinæ, quam S. Paulus prædicabat, addidit fidem verbis illius, & credidit eas veritates, quas ille annuntiabat. Licet ergo mihi exhibere vobis duplicem ſtatum, qui vitam illius diviſerunt, vobis oſtendendo quantus ille fuerit, ſeu ſpectemus fidem, quam recepit, ſeu fidem quam annuntiavit. In altero horum ſtatuum videbitis eum tanquam præclariſſimum fidei trophæum; in altero vero tanquam zelotem Evangelii præconem, fideique patrocinium. Videbitis

1. Ejus docilitatem in recipienda fide, licet tot illi adverſarentur obices quos humana ſcientia, & humana ratio illi objicere poterant.

2. Ejus imperterritam animi conſtantiam in morte propter fidem ſubeunda, ſine ullo cruciatuum metu, qui manebant eos, a quibus nuntiabatur Evangelium. *Elogia Hiſtorica.*

Mirificavit Dominus Sanctum ſuum. Pſalm. 4. Homines
II. poſſunt in triplici ſtatu conſiderari, in ortu, vita, obitu. In ortu nihil ſunt niſi infirmitas; in toto vitæ curriculo ſexcentis ſunt obnoxii laboribus, atque adverſis; mors vero dolorum omnium eſt cumulus. Sed quocumque in ſtatu Sancti reſpiciantur, undequaque videntur admirabiles. Si ſpiritualis eorum ſpectetur nativitas, aut vocatio ad Chriſtianam Religionem, jam exinde luminibus repleti ſunt; ſi eorum vita, atque officia conſiderentur, repleti ſunt gratia; ſi eorum martyrii ratio habeatur, vel mortis, repleti ſunt fortitudine. Hæc omnia Sanctis omnibus generatim conveniunt; ſed in S. Dionyſio admirabili fulgore coruſcant.

1. Prorſus admirabilis eſt in converſione ſua, quæ ſinceriſſima eſt, nihil obſtantibus iis difficultatibus, quas a ratione ipſa pati poterat.

Admirabilis in miſſione; cum enim vix ille fidem recepiſſet, hanc aliis ſtuduit communicare.

2. Admirabilis in Martyrio, quod ſumma cum fortitudine perpeſſus eſt, potius quam fidem, quam ſemel fuerat amplexus, relinqueret.

Cum Deus infidelem, vel peccatorem convertit, producit in mente illius lumen, quod illum in cognitionem adducit erroris, & peccati ſui, peccatum enim ſimul ac animæ poſſeſſionem adit, illam ſtatim replet tenebris, quæ gratiæ lumine diſſipantur, ubi anima ipſa convertitur. Cum vir Doctus, qui in errore fuit, ſeſe convertit; plurimos in converſione ſua ſecum rapit imitatores converſionis ſuæ. Sed cum Infidelis iſte, & peccator, hic vir eruditus, poſtquam illuminatus fuit, ad eum generoſitatis gradum pervenit, ut mortem ſubeat pro tuenda veritate ſemel perſpecta, aſſerere poſſumus hunc prorſus eſſe admirabilem. Hæc vera eſt S. Dionyſii Tabula. Huic tres inerant pravæ qualitates, Infidelis erat, peccator erat, eruditus erat, videlicet imbutus erat hac humana ſcientia, quæ non aliud eſt, quam vanitas mera, ſed cum erutus fuit de peccato, & lumine gratiæ Salvatoris illuſtratus, ad eum pervenit fortitudinis, & conſtantiæ gradum, ut nullum ultra eſſet ſupplicium, quod non pateretur, atque mallet ipſam ſubire mortem, quam abrenuntiare Evangelio, cui, & Apoſtoli verbo ſemel fidem habuerat. *Ex Specimine Panegyricorum.*

Oſtendi poteſt in S. Dionyſio per S. Paulum converſo

1. Effectus gratiæ Jeſu Chriſti in homine idololatra; in homine erudito, atque ſcito politico. III.

2. In S. Dionyſio populos convertente; poſtquam ipſe converſus fuit, oſtendere poſſumus Zelotem Apoſtolum, Doctorem admirabilem, & Martyrem ſtrenuum.

S. Dionyſius triplici modo poteſt conſiderari, tanquam Idolorum cultor, tanquam Philoſophus, & ſcitus Areopagita, Deus eodem uſus eſt, ſecundum tres has rationes. IV.

1. Illo uſus eſt, ut converteret Ethnicos, qui illum cognoverant iiſdem ſuperſtitionibus addictum.

2. Illo uſus eſt tanquam Philoſopho, ut Philoſophorum, Doctorumque converſioni operam daret.

3. Illo uſus eſt tanquam Sapiente Areopagita, ut eos, qui in dignitate conſtituti ſunt, doceret ſequi magna cum æquitate vias juſtitiæ, & Evangelii placita in adminiſtratione primum quidem Athenienſis, mox vero Parienſis Epiſcopatus.

Conſiderari poteſt S. Dionyſius V.

1. Tanquam Ethnicus, ſed eruditus, & qui S. Pauli opera converſus, factus fuit ex illo tempore particeps luminum magni hujus Apoſtoli.

2. Tanquam Apoſtolus, qui lumine gratiæ illuſtratus, primum incumbens ad patriæ ſuæ, mox etiam Galliæ totius converſionem ſuum zelum oſtendit.

3. Tanquam Martyr generoſus, cui cum ſatis non fuiſſet ſuis prædicaſſe Evangelium, decrevit primum illud in Galliam quoque proferre, cujus Apoſtolus factus eſt; cumque omnia ſuſtinuiſſet Martyrum tormenta, ibi tandem morte ſua adeptus eſt immortalem gloriam, & habitus fuit Magni hujus Regni Patronus.

PARAGRAPHUS II.

Fontes unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Panegyricorum ſtructuras ornandas, & Auctores, qui hoc argumentum pertractant.

Acta S. Dionyſii conſcripta a Viſlico, teſte oculato martyrii Sancti hujus, palam memorant S. Dionyſium Areopagitam S. Pauli prædicatione converſum, a S. Clemente in Gallias miſſum, Pariſienſem Eccleſiam inſtituiſſe, & Feſcennini Præſidis juſſu, martyrium ſubiiſſe.

Hilduinus S. Dionyſii Abbas ad nutum Ludovici Pii reſtituit, & ex oblivionis caligine in lucem protulit hæc acta, quæ temporum diuturnitate fere erant exeſa, quamobrem factum eſt, ut hic haberetur tanquam primus auctor vitæ, ac miſſionis S. Dionyſii in Galliam. Hinc injuria nuperi Critici illum inſimulant, quaſi inſignis hic Abbas commentus fuerit hæc acta, & primus fuerit, qui ut Monaſterio ſuo majorem celebritatem compararet, aſſeruerit, Areopagitam Dionyſium in Galliam miſſum fuiſſe a S. Clemente, quandoquidem ſummi veri Abbatis hujus æquales de ipſo verba faciunt tanquam de Cœnobita perfecto, moderato, gravi, ſincero, rerum antiquarum peritiſſimo, ideoque minime apto, qui univerſæ fucum faceret Eccleſiæ, & Cæſari, qui hanc illi provinciam commiſerat, ut factum iſtud hiſtoricum ad examen revocaret.

Ipſe etiam confirmat eamdem veritatem in reſponſione ſua ad Ludovicum Pium, qui illi hanc curam crediderat,

factum e tenebris in lucem trahendi, quod critici quidam Galliæ felicitati invidentes impugnare contendunt. Hoc ipſum aſſerit in Epiſtola ſecunda ad omnes Chriſtianos inſcripta, ubi etiam deſcribit S. Dioniſii Martyrium iis omnibus circumſtantiis veſtitum, quas novimus.

S. Methodius Conſtantinopolitanus Patriarcha, & Martyr in S. Dionyſii vita inquit, illum Athenis Romam veniſſe, & Roma exceſſiſſe miſſum a S. Clemente cum ſanctis Luciano, Ruſtico, & Eleutherio in Galliam, & nominatim Pariſios.

Simeon Metaphraſtes Martyrii S. Dionyſii præcipua memorat facta, & ſupponit ſemper hunc fuiſſe Epiſcopum Athenarum, & eumdem ac illum, qui primus fuit Pariſienſis Antiſtes.

Michael Syncelus apud Lipomanum.

Surius, qui prolixius vitam ejus deſcripſit, dixit quidquid dici poterat in hoc argumento, ſupponens ſemper hunc eumdem eſſe S. Dionyſium, qui Athenis in Galliam profectus eſt.

Idem poſt Sancti vitam, addidit ſine auctoris nomine ſatis amplam narrationem mortis, atque Martyrii S. Dionyſii Areopagitæ prope Pariſios.

Qui cum laude de S. Dionyſio verba fecerunt.

Fortunatus Pictavienſis Epiſcopus elucubratus eſt hymnum in laudem S. Dionyſii Epiſcopi, Roma in Galliam miſſi a ſancto Clemente, & qui alius eſſe non poteſt ab Areopagita.

Hincmarus, Hilduini Diſcipulus, & unus ex ævi ſui eruditiſſimis, ſubſcribit iis omnibus, quæ ſcripſerat Magiſter ejus, cum quo Imperatoris juſſu opus ſuum contulit in deſcribenda Sancti hujus vita, & in probanda miſſione ejus, ac Martyrio in Gallia.

Paſchaſius Ratbertus Abbas Corbienſis in vita Sanctorum Martyrum Ruffini, & Ulerii, ſumma cum laude loquitur de zelo, quem S. Dionyſius teſtatus eſt ſeſe devovens ſaluti populorum Galliæ, ideo deſerens Athenas, & affirmans ſe ex vetuſtiſſimis monumentis hauſiſſe, quidquid affert. Joannes Erigena in ſcripto ad Carolum Calvum Imperatorem rationem affert propter quam neque Euſebius, neque S. Hieronymus, neque S. Gregorius Turonenſis locuti fuerint de miſſione in Galliam S. Dionyſii Areopagitæ, & addit recentiores Hiſtoricos id deſcripſiſſe ex fidelibus monumentis, quæ viſa non fuerant a veteribus.

Quidquid ſummi iſti viri de hoc argumento ſcripſerunt, confirmatur Epiſtola, quam Gallicani Epiſcopi ſcripſerunt ad Eugenium Papam II. poſt Pariſienſe Concilium habitum annos decem antequam Hilduinus in lucem edidiſſet opus, cui titulus eſt *Areopagita*; & hæc epiſtola relata eſt a Cardinali Baronio, qui facti hujus veritatem acerrime propugnavit. Qua in re lubentiſſime quærerem, utrum Epiſcopi Gallicani in Concilium redacti ignorare potuerint jugem, ac immemorabilem traditionem, an illud ſciverint, & indigna diſſimulatione mentiri voluerint.

Poſt hæc omnia teſtimonia nequaquam neceſſe puto hic referre quid aſſerant vetuſtiſſima Martyrologia; illud enim, quod a Sancta Sede probatum fuit, ſatis eſſe debet, ut ſilentium indicat Criticis. Si quis plura requirat argumenta facti hujus veritatem probantia, adeat P. Alexandrum ex D. Dominici familia in ſecundo Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ tomo, qui ſolide reſpondet objectionibus omnibus, quæ hac in re fieri conſueverunt.

Ii, qui tenent admirabiles libros qui S. Dionyſii nomine inſcripti ſunt, vere opus eſſe S. Dionyſii Areopagitæ.

Eruditiſſima, & pretioſa ſcripta, quæ S. Dionyſii Areopagitæ nomine circumferuntur, & quæ nonniſi ſub ſæculi quinti finem prodierunt in lucem, non ſunt minoris diſputationis argumentum inter Criticos, quam ejus in Galliam miſſio, & martyrium prope Pariſios. Primi qui illos alteri ignoto Auctori ferunt acceptos contra Conciliorum, ſummorum Pontificum, Sanctorumque Patrum ſententiam, ſunt Eraſmus, Laurentius Valla, Joſephus Scaliger, Scultetus, Riverius, Daillejus, aliique nonnulli, quorum pars ſunt Hæretici, pars ſuſpectæ religionis, ſed quorum eruditio, atque auctoritas, quam ſibi in rebus Criticis comparaverunt, in eorum ſententiam non ita paucos Eruditos Catholicos pertraxit P. Morinus, Launoyus, Tillemontius, aliique nonnulli præoccupati contra miſſionem ſancti Dionyſii in Galliam, negarunt ſcripta, quæ de illius nomine nuncupantur, ejus eſſe, licet illa probent, & habeant in pretio.

Poſtremo Doctorum horum virorum auctoritas tanti momenti non eſt, ut ſit anteferenda auctoritati tot aliorum, qui quolibet ſæculo vixerunt, ex quo ſcripta hæc prodierunt, quemadmodum Pater Alexander ex ordine recenſuit, qui etiam ſuum addidit ſuffragium, cui adjicere poſſumus illa Baronii, Leſſii, Lanſellii, Bellarmini, aliorumque plurimorum, quorum teſtimonia invenientur in diſſertatione inſerta in primo tomo Bibliothecæ veterum Patrum. Quamobrem audacter dicere poſſumus Dionyſium Areopagitam ſancti Pauli diſcipulum immediate hauſiſſe a divino præceptore ſuo inſignes veritates eloquentiſſime expreſſas iis in libris, de quibus ſermo eſt.

Aſcetici, qui locuti ſunt de Dionyſio Areopagita.

Godeau in elogiis Epiſcoporum, qui omnibus ſæculis doctrina, & ſanctitate floruerunt.

P. Novet in vita Jeſu Chriſti in Sanctis ſuis Meditationem habet pro nona Octobris die, de Martyrio S. Dionyſii Areopagitæ.

Pater Croiſet in Aſceticis Exercitationibus pro die eadem habet compendium vitæ, & Martyrii ejuſdem Sancti.

Concionatores veteres.

Guillelmus Pariſienſis unum habet Sermonem pro die Sancti hujus.

Dionyſius Carthuſianus tres edidit Sermones hujus argumenti.

S. Thomas Aquinas; qui pro themate elegit hæc Iſaiæ verba: *Vocans ab Oriente avem, & de terra longinqua virum voluntatis ſuæ.*

Concionatores recentes.

Jacobus a Voragine plures edidit Sermones de eodem S. Dionyſio.

Biroat tomo 3. Panegyricorum.

P. Senault Oratorii tomo tertio.

P. Texier tomo 1. Panegyricorum.

P. Duneau in Panegyricis Sanctorum tomo tertio.

In Specimine Panegyricorum tomo ſecundo tria ſunt compendia Sermonum.

In Elogiis Hiſtoricis tomo tertio Sermo integer adeſt.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, Figuræ, & Applicationes Scripturæ huic Argumento.

Loci.

Stans Paulus in medio Areopagi ait: Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video. Actor. 17.

Præteriens, & videns ſimulacra veſtra, inveni & Aram, in qua ſcriptum erat: Ignoto Deo. Ibidem.

Quod ergo ignorantes colitis, hoc annuntio vobis. Ibidem.

Tempora quidem hujus ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant. Ibidem.

Cum audiſſent reſurrectionem mortuorum, quidam irridebant, quidam vero dixerunt, audiemus te de hoc iterum. Ibidem.

Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt, in quibus, & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis. Ibidem.

Incitabatur ſpiritus ejus in ipſo (Paulo) *videns idololatriæ deditam civitatem.* Ibidem.

Athenienſes omnes, & hoſpites advenæ ad nihil aliud vacabant niſi aut dicere, aut audire aliquid novi. Ibidem.

Poſſumus ſcire, quæ eſt hæc nova, quæ a te dicitur, doctrina? Ibidem.

Deus qui fecit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei. 2. Corinth. cap. 4.

Tanquam aurum in fornace probavit eos. Sap. 8.

Noli timere, cum ambulaveris in igne tecum ero, ut non comburaris, & flamma non ardebit in te. Iſaiæ 43.

Induxit eos in montem ſanctificationis ſuæ, montem, quem adquiſivit dextera ejus. Pſalm. 17.

Mons, in quo beneplacitum eſt Deo, habitare in eo. Pſal. 67.

Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti. 2 Corinth. cap. 4.

Populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam, ſedentibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. Matth. 4.

Si decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres; nam in Chriſto Jeſu ego vos genui. 1. Corinth. 4.

Nonne opus meum vos eſtis in Domino; & ſi aliis non ſum Apoſtolus; ſed tamen vobis ſum; nam ſignaculum Apoſtolatus mei vos eſtis in Domino. 1. Cor. 9.

Idola projecerunt, & ſervierunt Domino Deo, qui doluit ſuper miſeriis eorum. Judic. 10.

Collegit (Tyrannus) *furorem ſuum in me, & comminans mihi, infremuit contra me dentibus ſuis: hoſtis meus terribilibus oculis me intuitus eſt.* Job 16.

Aperuerunt ſuper me ora ſua, & exprobrantes percuſſerunt, ſatiati ſunt pœnis meis. Ibidem.

Exempla, & Figuræ.

Nihil eſt adeo difficile, quam doctum hominem convertere, ubi in errorem inciderit. In rebus omnibus videntur Scribæ promptiores eſſe debuiſſe, ut Meſſiam ſequerentur. Facile iis erat hunc cognoſcere per complementum Prophetiarum, quæ palam in illius perſona adimpleri videbantur: tamen quemadmodum ad litteram explicuerunt eos Bibliorum locos, ubi ſermo erat de Meſſiæ magnitudine, nobilitate, potentia, viribus, regno, & prorſus craſſum imbiberant conceptum adventus ejuſdem; nequiverunt illum agnoſcere in ſtatu longe alio ab eo, ſub quo illum venturum eſſe conceperant. Univerſus miraculorum ejus fulgor, tota vitæ Sanctitas, omnia Divinitatis ejus inſignia, exæquare non valuerunt in obſtinatis eorum mentibus, adorabilem hanc humilitatem, quæ diſplicebat illis in Filio Dei, & quam cum qualitate Meſſiæ conciliare non poterant. Talis plerumque eſt infelix conditio virorum, qui ſcientia clarent, & fallacibus placitis imbuti ſunt. Dionyſius proculdubio fuit ex præſtantiſſimis ſæculi ſui ingeniis; ſed nativitatis ſuæ infelicitas illum in Ethnicarum ſuperſtitionum latebras impulerat. Erat ex numero eorum pſeudoſapientum, de quibus verba facit Apoſtolus, qui cum Deum cognoviſſent, non ideo tamen eum tanquam Deum glorificaverunt; qui contenti ſpeculativa quadam cognitione Entis ſupremi, quin illud legitimo, & rationabili cultu proſequerentur, miſere evanuerunt in cogitationibus ſuis; qui inanis prudentiæ fama, quam inutili ſcientia

ſibi apud populos comparaverant, ſuperbi evaſerant mortalium omnium inſipientiſſimi, & ſeipſos tanquam ſapientiſſimos ventitabant, quia poſtquam ſe uſque ad Creatoris cognitionem extulerant, hujus imaginem cum ea miſerabilium Creaturarum confuderant: magis cæci, quod ſibi Deum Æternum, atque incorruptibilem fixerant ſub imagine turpiſſimorum animalium, quam ſi permanſiſſent in craſſa populorum ignorantia, quorum ſimplicitatem, atque innocentiam corruperant. Hujus generis fuiſſe docet Athenarum, atque Romæ Philoſophos, S. Paulus in capite primo ſuæ ad Romanos Epiſtolæ. Ut vere dicam, S. Dionyſius lapſus non eſt in hos errores, in quibus recto ſupplicio Deus ſuperbos hoſce ſpiritus dereliquit, inquit Apoſtolus; ſed inficias ire non poſſumus, quo minus ille ad tempus uſque converſionis ſuæ fuerit infectus ſuperſtitionibus Ethnicorum, & ille, quem hodie colimus eſſet noſtrarum lacrimarum objectum, niſi Deus uſus fuiſſet Apoſtolorum omnium eruditiſſimo ad converſionem tanti hominis, qui ævo ſuo facile princeps ferebatur.

Exemplum Jephte perfecte quadrat S. Dionyſio.

In Judicum libro legimus, Jephte ex meretricio complexu genitum, verumtamen ſtrenuum Ducem, cum aliquando permanſiſſet in terra Thob, ubi frequens vagorum, atque latronum turba graſſabatur, electum ab aliis fuiſſe in Principem, ſed mox creditam ſibi provinciam abdicaſſe, & noluiſſe ulterius uti ea peritia, quam cum illis inter arma ſibi comparaverat, niſi, ut fortius in illos, ac felicius armis uteretur, ubi ſe præfectum cognovit populo Dei. Facilis mihi occurrit ſimilitudo, inter hunc Scripturæ locum, & Sanctum virum, de quo nobis eſt ſermo. Erat Dionyſius unus ex Principibus, ſupremiſque Areopagi Judicibus, qui ad apicem callebat ſuperſtitioſas Ethnicorum cæremonias, & quidquid ad inanium Deorum cultum pertinebat. Contigit illi ex Matre, & in urbe Idolorum cultrice in lucem prodire; quam Scriptura tanquam turpe ſcortum ſpectat, & cujus filii ſunt prohibendi ab hereditate, quæ nonniſi legitimis debetur. Populi, qui vero Deo eripiunt cultum, quem debent, ut idolis adoleant thura ſua, æquo jure tanquam fures traduci valent, illum ſibi ducem præfecerant, qui omnes eorum lites ſeu ad Religionem, ſeu ad Forum ſpectantes dirimeret. Sed cum tandem felix illa dies illuxit, qua cognovit, ſe malam cauſſam tuendam ſuſcepiſſe; hanc ideo reliquiſſe videtur, ut illam vehementer impugnaret, & ſua uteretur experientia, ut illam optato eventu feliciter expugnaret. Ex Areopagi Senatore conſtitutus fuit Epiſcopus, ſemper Superior, ſemperque Judex, ſed a ſeipſo longe alius. Semper multa cum eruditione, zeloque agens, ſed non amplius eaſdem ſuſtinens opiniones, neque partes eaſdem: e contra magni animi, ingeniique ſui dotibus utens ſolum, ut frequentiores referret triumphos ad eum, a quo illas receperat, adeo in idololatriæ ſinu altus, atque innutritus, ut ejus inſaniam melius exploratam haberet, & facilius populos ſuos ab erroribus revocaret.

Comparatur S. Dionyſii converſio cum converſione S. Pauli.

S. Dionyſius licet unus ex perſpicaciſſimis Athenarum Senatoribus nihilo minus cæcus erat, & ſcientiæ ſuperbia illi propriam fecerat quamdam inſcitiam, quæ vulgo doctos ſuperbos concomitatur. Omnia cognoviſſe videbatur, tamen Deum, & ſeipſum ignorabat. Qua in re felix illius ſors alia omnino ab illa ſancti Pauli fuit. Magnus hic Perſecutor Eccleſiæ evaſit deinceps in magnum Apoſtolum: lumen ejus hujus oculos perſtringens excæcavit illum, ut faceret fidelem. Sed Dionyſius beatiore caſu per tenebras illuminatus fuit, ac veram lucem videre cœpit per eamdem caliginem. Dum Dionyſius ſepultus erat adhuc in umbram Ethnicæ ſuperſtitionis, Dei Filius vivebat ſuper terram, & cogitabat de reconciliandis Patri ſuo peccatoribus in cruce animam perflans; & ubi acceſſit tempus ad magnum hoc facinus conſtitutum, Dionyſius, qui forte aderat Heliopoli, repente ſtupore captus, propter tenebras, quæ contra naturæ leges terris incubuerant, hac ipſa caligine illi facem præferente, illuſtrari cœpit, & exclamavit: *Aut Auctor naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvitur*. Ita Dionyſius tenebrarum favore excutere cœpit erroris, atque peccati tenebras; quarum alteram per has generales tenebras excuſſit, alteram vero ad S. Pauli prædicationem excutiet.

S. Dionyſius in ardenti fornace comparatus tribus pueris Babylonis.

Prodigium illud, quod accidit in gratiam trium puerorum Babylonis, mirum quidem fuit; Illud vero, quod in S. Dionyſii gratiam non eſt minus admirabile: Angelus, qui apparuit in medio trium puerorum fornacem refrigerans, & mutans ignem in tenuem auræ lenis flatum invitavit S. Pueros Iſraelitas ad Deum laudandum, & Canticum laudis illis concinendum. S. Dionyſius conjectus a tortoribus in ardentem fornacem, hæc Sancto huic in ſacellum converſa eſt; igne obediente Domini imperio, ne unus quidem capitis capillus læſus eſt, neque fimbria veſtimentorum ejus ex fumo labem contraxit. Caruit ignis vi omni, niſi ut liqueſcerent catenæ quibus revinctus erat. Ita & S. Laurentius invicta conſtantia de igne quodammodo triumphabat, tyrannos irridens, dum ejus caro tunderetur. Sanctus iſte Diaconus nonniſi ex parte triumphavit; quippe ipſo integram ſervante fidem, totum illius corpus aſſabatur; ſed S. Dionyſius dupliciter de igne triumphavit, & in anima ſua, & in corpore ſuo. Impavide fornacem ingreditur, ſed ſimul Deus efficit corpus ejus invulnerabile, ibique manet illæſus; & ſicut trium puerorum fornax locus fuit refrigerii per Angeli aſpectum; fornax S. Dionyſii illi fuit Paradiſus per opem, quam inter hos ardores illi attulit Spiritus ſanctus.

Comparatio Scriptorum S. Dionyſii diu ignotorum cum fluminibus ſub terra fluentibus.

Operæ pretium puto meminiſſe ſcriptorum S. Dionyſii; de quibus lis adhuc ſub judice eſt. Verum eſt plures in dubium vocaſſe, utrum eſſent Sancti hujus opera; idque in cauſſa fuit, quod illius codices, ſcientia refertiſſimi nonniſi tertio, vel quarto Eccleſiæ ſæculo prodierunt in lucem. Hæc potiſſima eſt ratio, quam objiciunt eruditi, qui factum hoc revocant in dubium, & hac una ſuffulti circumſtantia, Sancto huic debitas laudes ſurripiunt, quamquam nullo jure valeant alteri cuipiam ſequentium ſæculorum auctori opus probatiſſimum acceptum referre. Verum ſi attente ad examen vocetur qualitas operis, perſpicuitas, & eloquentia, qua Auctor altiſſima fidei noſtræ myſteria tractat, nullus dubitandi locus eſt, utrum Sancto noſtro facile referendum ſit, cum ſatis videatur ex argumentorum celſitudine, uni huic licuiſſe, tanquam Diſcipulo illius Apoſtoli, qui uſque in tertium Cælum raptus fuerat, hujuſmodi argumenta tractare. Objicienti vero ſcripta hæc ſero nimis in lucem edita fuiſſe, reſpondeo, illa extitiſſe ſimilia quibuſdam fluminibus, quæ cum diu per ſubterraneos meatus defluxerint tandem eo pervenerunt, unde in lucem exſilirent: ſed non ideo minus ubertatem attuliſſe terris, per quas defluxerunt. Ceterum quot opera intuemur, quæ tandem in lucem prolata ſunt, poſt plura ſæcula ab obitu auctorum ſuorum, velut Ariſtotelica, ac plurimorum aliorum, quos ſingillatim appellare faſtidium crearet, & ad hiſtoriam pertineret potius, quam ad noſtrum argumentum?

S. Dionyſius cum S. Joanne Baptiſta & S. Paulo comparatur.

Æque vetus, ac mors S. Dionyſii traditio eſt, poſtquam huic caput obtruncatum fuit, corpus ejus in pedes ſurrexiſſe, ac gerens in manibus caput ipſum detuliſſe illud in eum uſque locum, ubi modo civitas eſt, quæ ab ejus nomine nuncupatur, quæ cauſſa fuit ut univerſus fere populus converteretur. Tres habemus ſummos viros, qui in tribus præcipuis Civitatibus capite percuſſi fuerunt. S. Joannem Baptiſtam Jeroſolymæ, S. Paulum Romæ, S. Dionyſium Pariſiis. Primi amputatum caput manavit ſanguine ultionem repoſcens ſceleris Herodis, & Herodiadis, quæ tulit illud in diſco. Alterius caput lacte manavit, & poſt mortem triplicem edidit ſaltum, unde tres proſiliere fontes; quia lacte cæleſtis doctrinæ ſuæ nutriturus erat Eccleſiam. Tertius denique, poſt obitum ſuum, ſi jam obierat, detulit caput ſuum in locum, quem ſibi elegerat, ut ibi manſionem ſuam collocaret, & ut ibi tanquam Galliæ Patronus coleretur.

Applicationes quorumdam locorum Biblicorum huic argumento.

S. Dionyſii ſpiritus repletus fuit luminibus per tenebras paſſionis Domini.

Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere. 2. ad Cor. 6. Jeſus Chriſtus utitur tenebris, quas mors ſua in terras effuderat, ut divina claritate S. Dionyſii mentem perfunderet. Exteriores tenebræ fecerunt, ut ille cognoſceret interiores animæ ſuæ tenebras, & hæ ſpiritum illius illuſtrantes per gradus deduxerunt illum ad cognitionem Dei; quia conſocians animadverſiones, quas ejus ratio inſtituit ad intuitum admirabilis Eclypſis, quæ præter naturæ curſum contigerat, cum iis cognitionibus, quibus ſancto Paulo prædicante imbutus fuit; agnovit ſe nequaquam fuiſſe deceptum ubi Jeſu Chriſti mortem præſenſit. Ita ratio illius illuſtrata ſpiritum ejus ad fidem præparavit. Verum ne putetis, S. Dionyſium in converſione ſua commune tantum recepiſſe lumen; S. Paulus communicavit illi omnem, quæ de tertio cælo hauſerat ſcientiam. Inter hominum, & Dei ſcientiam hoc intereſt, ſcientiam videlicet hominum, ſuperbam eſſe, atque difficilem; ſcientiam vero Dei humilem, atque ſuavem. S. Dionyſius in converſione ſua amiſit totam hanc ſuperbam, ſpinoſamque ſcientiam Philoſophorum, & humili, lenique J. C. ſcientia fuit illuſtratus; ſcientia hæc non fuit iners in ejus anima; mentem enim illuminavit, & cor ejus accendit. Fax fuit, quæ totam naſcentem Eccleſiam illuſtravit, & cujus radii ad nos uſque pervenerunt.

Plures audiunt verbum Dei ſed pauci inde proficiunt.

Quidam viri adhærentes ei (Paulo) *crediderunt; in quibus, & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris.* Actor. 17. Cum S. Paulus in Areopago peroravit, frequens erat conſeſſus: Apoſtolus verba faciebat ad omnes, iiſque cæli viam annuntiabat, & Deus illis ſalutis adminicula tradebat per os Evangelici hujus præconis. Fidei lux lucebat omnibus, ſed non omnes obedierunt Evangelio: Dionyſius, nobilis matrona, aliique nonnulli pauci ſunt. Talis erit grex ille, cui Dominus regnum cælorum pollicitus eſt. Prædicantur, & ut ita dicam, de tectorum culmine Religionis veritates annuntiantur. Nemini celat legem J. C. & moralis divinæ ſanctitatem. Turmatim, & agmine facto concurritur ad excipiendum verbum Dei: divites, pauperes, nobiles, magiſtratus, Regii Præfecti, aliquando ſaltem inveniuntur in his cœtibus fidelium, ubi veritatis verbum nuntiatur: Nihil aptius ad ædificandum, nihil ad conſolationem utilius, hac auditorum cavea. At tantæ huic multitudini par eſt numerus converſionum! Vix, & ne vix quidem recenſeri poſſunt, qui concionibus interſunt & facile numerantur ii, qui convertuntur. Dionyſius, Damaris, aliique nonnulli cum iis, nihil ad ſupputandum facilius. Dionyſius erat ex horum Magiſtratuum numero: Damaris erat nobilis Matrona. Ita vult Deus, ut ad confundendas animas, quæ aures obſtruunt vocibus gratiæ, ſemper adſint animæ dociles, & fideles in omnibus ſtatibus. S. Paulus univerſo Areopago prædicat Evangelium, ferme quingenti celeberrimi illius magiſtratus viri tranquille Dei Verbum

audiunt; Omnes Oratorem admirantur, unus ſe gratiæ illecebris victas dat manus: Ita in urbe una vox Dei a Principibus omnibus, omnique populo audita: ita in communitate, ubi omnes eaſdem regulas habent, omnes eamdem habent morum diſciplinam, omnes eadem exempla; ubique ne divinum hoc ſemen in omnibus fructum centuplum affert! Domine Deus! hoc ſatis aperte probat parvulum numerum Electorum. *Pauci Electi.*

S. Dionyſius vere pater noſter eſt, & Galliæ Apoſtolus.

Et ſi multa millia pædagogorum habeatis, ſed non multos patres. 1. Cor. 4. Quamvis Martyres omnes patres noſtri ſint, & ſanguis, quem effuderunt, ſit germen illud ſacrum, ex quo nati ſumus in Eccleſia; ſunt nihilominus quidam, quibus plura debemus quam aliis; & qui æquiori titulo gloriari poſſunt ſe nos in Jeſu Chriſto genuiſſe, ſeu quod nobis Evangelium prædicaverint, ſeu quod nos exemplis ſuis confirmaverint, ſeu quod corporis vitam amiſerint, ut nobis gratiæ vitam conferrent. Inter autem tot ſummos viros, neminem video, qui glorioſam hanc ſibi vindicare qualitatem potiori jure valeat, quam S. Dionyſius, quippe hic eſt Galliæ Apoſtolus, & illius vocatio noſtram complectitur, & præferens Lutetiam Athenis noſter fuit primus Concionator, & Præſul.

S. Paulus per ſcientiã quam a Deo receperat triumphat de Dionyſio humanis ſcientiis tumente.

Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. 1. Cor. 1. Minax hoc Domini verbum nunquam verius inventum fuit, quam in converſione Dionyſii Areopagitæ, cujus cauſſa fuit S. Pauli prædicatio. Paulus advena, & ignotus; Paulus æque contemptus a Stoicis, & ab Epicureis, cum quibus paullo ante diſputaverat, ſed fruſtra, eſt inſtrumentum illud, quo utitur Deus, ad inſpirandam fidem veritatum maxime incredibilium Philoſopho, Judici, homini in Ethnicæ ſuperſtitionis ſinu innutrito, mollitiei, & Græcorum corruptioni dedito, qui in pretio, atque honore habebatur ea in urbe, ubi tota ſapientiæ calliditas, & vetus ſuperſtitio dominabatur. Quænam intercedit ſimilitudo, Tertullianus ait, Philoſophum inter, & Chriſtianum, inter Athenas, & Jeruſalem, inter Græciæ diſcipulum, & cæli candidatum? Ille ſtudet ut ſeſe perficiat per ſcientiam; hic ſe nihil, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc Crucifixum ſcire profitetur. Ille ſemper errores haurit, recenteſque adjicit veteribus ut inanem in terris ſibi comparet celebritatem; hic ſpiritus ſui exilitatem cognoſcens, ſeſe exuit omnibus conjecturis, humaniſque omnibus præventionibus, ut ſemet primæ ſubjiciat veritati. Denique ille ſuimet ebrius, pertinaciter omnibus ſententiis ſuis inhæret, eaſque propugnare contendit; reſpicit tanquam jugum non ferendum alterius cujuſpiam regimen, & ratus ſe ſtudiis, vigiliiſque ſuis invenire poſſe quomodo ſapientior evadat, ſeſe in Magiſtrum attollere cupit, quin prius ad diſcipuli qualitatem ſeſe demittat. Hic autem econtra infirmitatis ſuæ ac ignorantiæ, præſertim vero in iis, quæ ad Religionem pertinent, conſcius, ſed probe tenens quid interſit inter ea, quæ a Deo, & quæ ab hominibus proficiſcuntur, delet e mente ſua, ac inde abradit quaſcumque imagines noxias, & pravas, quas ſcientiæ profanæ forte ibi reliquerunt.

S. Dionyſium in ardentem fornacem conjiciunt.

Tanquam aurum in fornace probavit eos. Sapient. 8. S. Dionyſius, cujus hodierna die triumphum recolit Eccleſia, præclara præbuerat ſoliditatis ingenii ſui ſpecimina, cum fidem adjecit incredibilibus myſteriis, quæ S. Paulus prædicavit Athenis, & quæ aliorum Areopagitarum oculos perſtrinxerant. Prætulerat cordis ſui fidelitatem obſequens gratiæ vocationis ſuæ; ideoque abdicans ſe magiſtratu, propter quem in Græcia florebat, Fortitudinem atque conſtantiam probaverat longa ſuſcipiens itinera, ut Evangelium, & J. C. nomen ad varias gentes perferret. Perſpicua tandem dederat Apoſtolatus ſui argumenta in inſtitutione Eccleſiæ urbis illius, quæ Galliæ caput eſt, Sed Deus, qui Dionyſium ad ſublimiorem caritatis apicem attollere voluit, qui in eo ſitus eſt, ut det quis animam ſuam pro fratribus ſuis, periculum facere voluit caritatis ejuſdem; non ſecus ac aurum in fornace probatur, permiſit, ut conjiceretur in fornacem ardentem, ex qua tamen ſine ullo dolore, ſine labe egreſſus eſt. *Tamquam aurum in fornace probavit eos.*

S. Dionyſius ſeipſum devovit, ut ſalvam faceret Galliam, quemadmodum S. Paulus ſe feciſſe teſtatur pro fratribus ſuis.

Libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris. Ad Corinth. 12. Verba hæc, quæ Apoſtolus olim dicebat Corinthiis poſt recenſitos glorioſos labores, quos ſubierat pro Evangelii inſtitutione, videntur mihi transferri poſſe non immerito in os S. Dionyſii, qui commotus veneratione noſtra erga ejus memoriam, & confluentis hujus populi concurſu ad glorioſo protectori ſuo honorem adhibendum, cum S. Paulo dicit: impendi vigilias, ſudoreſque meos; vitam, & ſanguinem pro veſtra converſione, & ſalute; ſed præſto ſum adhuc, ut ſuperimpendam quidquid auctoritatis adeptus ſum apud Deum, ut hujus benedictiones in vos derivem. Sunt Sancti quidam qui nati videntur, ut omnes homines ſalvos faciant; ſunt alii, quorum zelus enituit in peculiaribus quibuſdam provinciis, dum viverent; ſed quorum lypſana alio traducta fuerunt poſt obitum; perinde ac voluiſſet Deus locupletare alios fructibus laborum ſuorum, & ſubſidia interceſſionis eorum in alios effundere. Sane denique qui dum viverent, & poſt mortem, tanquam tutelares Angeli, cuipiam Regno adhæſerunt, quod in clientelam ſuſceperunt. S. Dionyſius ex hoc fuit numero in Galliam. Vivens, & mortuus, pugnans in terra, ac triumphans in cælo ſe noſtræ protectioni devovit. *Libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.*

Bona; quæ S. Dionyſius in fornace nanciſcitur longe majora iis fuerunt quæ pueri experti ſunt.

Tanquam aurum in fornace probavit eos. Si tribus Hebræis pueris contigit videre ſecum quartum in fornace virum qui ſimilis erat filio hominis; S. Dionyſii bonum toto cælo majus eſt; non enim ſolum vidit alterum, qui Salvatori ſimilis erat, ſed vidit fornacem in Paradiſum converſam, ubi nactus eſt Filium Dei ipſius in perſona ejus, cui, ſummo hoc favore in admirationem raptus inquit: *Et hic eris mecum, o bone Jeſu!* O præclarum, & ſalubre documentum quod ſuggerit nobis illuſtris Galliarum Apoſtolus! Oſtendit nobis, ubi divina providentia probabit nos igne tribulationum, & adverſitatum vitæ hujus, nihil nobis eſſe pertimeſcendum: quia ſemper nobiſcum eſt Deus. *Noli timere*, inquit ille per Prophetam, *cum ambulaveris in igne, tecum ero, & non combureris, & flamma non ardebit in te.* (*Iſa.* 43.) Videlicet hæc honorum jactura, calamitas, infortunium hoc a nobis habendum non eſt tanquam doloris argumentum, & indicium divinæ in nos iracundiæ, ſed potius tanquam occaſio quam Deus ſuppeditat nobis, teſtatum illi faciendi amorem noſtrum, & caritatem. Fornax eſt, non abnuo, ſed fornax optanda magis, quam pertimeſcenda, quoniam ibi ſumus inventuri Dei ipſius filium. In hoc igne relinquemus amorem ſæculi, & fallacem hanc requiem, quam in creatis rebus nanciſcimur. In hoc amittemus noxiam adhæſionem voluptatibus mundi, fumum hunc honorum, qui mentibus noſtris offundit caliginem. In eo tandem intime adhærebimus Salvatori per ſublimiſſimarum virtutum praxim, quarum nobis adeo præclara in cruce reliquit exempla.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & ſententiæ Sanctorum Patrum, aliorumque Auctorum hujus argumenti.

Elogia, quæ Sancti quidam Patres ediderunt in laudem S. Dionyſii Areopagitæ.

Avis cæleſtis. Sanctus Chryſoſtomus lib. 14. de Sacerdot. *Antiquus, venerandusque Pater, & Doctor.* S. Gregor. homil. 34. de drachma perdita.

Celeberrimus rerum divinarum myſtes. Anaſtaſius Sinaita.

Sanctiſſimus, & in Theologia præſtantiſſimus. S. Damaſcen. de fide Orthodoxa c. 12.

Vertex Theologorum. Idem de eadem fide orthodoxa.

Sanctiſſimus, & eloquentiſſimus Dionyſius. Idem in Orat. de fidelibus defunctis.

Divinis rebus abundans, profunduſque Dionyſius. Idem de iis, qui in fide quieſcunt.

Magnus Angelus. Sic eum vocat Andreas Cretenſis.

Magnus Dionyſius. Idem.

Generoſus, & Germanus Aquilæ pullus. Idem.

Magnus Dionyſius. Generale Concilium ſic eum appellat, & reliqui Patres, qui de eo loquuntur.

Sanctorum Patrum loci, qui huic potiſſimum applicari poſſunt.

Tolle martyrum certamina, tuliſti coronas; tolle cruciatus, tuliſti beatitudines. S. Ambroſius lib. 4. in Lucam.

Non tam beatum Paulum exiſtimo, quod raptus ſit in tertium cælum, quam eum cenſeo beatum propter vincula. Sanctus Chryſoſtomns in Epiſt. ad Epheſios.

Nihil eſt æque præclarum, atque vincula pati propter Deum. Vinctum eſſe propter Chriſtum præclarius eſt, quam eſſe Apoſtolum, quam eſſe Doctorem, quam eſſe Evangeliſtam. Idem ibidem.

Si quis Chriſti amore utitur, novit vim vinculorum, & maluerit eſſe vinctus propter Chriſtum, quam habitare cælos. Ibidem.

Mihi optabilius eſt male pati pro Chriſto, quam honorari pro Chriſto; hæc eſt gloria, quæ omnia exuperat. Idem ibidem.

Mihi ad amplificandam, & latius diffundendam religionem aptius martyrio generoſe ſuſcepto propter inſignem vim tam ardui operis ad bonum prælucentis. Clem. R. Conſt. 5. ad 5.

Morte Martyrum Religio defenſa, cumulata fides, Eccleſia roborata eſt, vicerunt mortui, victi perſecutores ſunt. Sanctus Ambroſius lib. de Reſurr. Fidelium.

Pretioſa mors eſt, quæ emit immortalitatem pretio ſui ſanguinis, quæ accepit coronam de conſummatione virtutis. S. Cyprianus in Epiſtola ad Martyres.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia depromi valeat in hoc argumento.

Ratione propter quas difficilius eſt doctos convertere quã divites, ac potentes auctoritate.

Unanimi, conflatoque conſenſu tenent Patres, ſemper difficilius fuiſſe eruditos viros convertere, quam potentes, atque in dignitate conſtitutos, idque tribus potiſſimum de cauſſis. Prima eſt; ſcientiam inflare conſueviſſe cor, & qui eam poſſident, arbitrari ſe tantum reliquis antecellere, quantum homines generatim ceteris præeunt animantibus. Vanitas hæc ſatis in moribus, & ſcriptis veterum Philoſophorum per ſe patet. Quomodo ergo qui ſe mundi totius magiſtris venditabant, & qui neminem ſententiarum ſuarum obtrectatorem ferebant, ſeſe ſubjeciſſent diſcipulis Apoſtolorum, qui quovis lit-

teraturæ genere erant expertes? Socrates nonne apud Platonem dicit, ſe natum fuiſſe, ut veritatem doceret, alioſque redargueret? Si quis ergo illum docere voluiſſet, nonne huic dixiſſet, factus ſum, ut doceam, non ut docear? Ratio altera, quæ litteratorum, eruditorumque ſæculi virorum converſionem perdifficilem reddit, ea eſt, quod divina Religionis noſtræ myſteria incredibilia videntur iis, qui Philoſophorum placitis, atque principiis imbuti ſunt, non eo quod rationi repugnent, ſed quia ita rationem ipſam excedunt, ut eidem oppoſita videantur. Hinc S. Paulum ad Athenienſes verba facientem de Reſurrectione mortuorum, tanquam inſipientem reſpexerunt. Fabulis enim accenſebant, atque inter metamorphoſes rejiciendum putabant Deum hominem factum. Deus trinus, & unus fabuloſior videbatur, quam vel Janus Bifrons, vel Gercon Tergeminus. Ratio tertia, propter quam admodum ardua eſt eruditorum converſio, ea eſt, quod abutuntur donis naturalibus, & ipſis etiam rationis luminibus; ita ut ex Apoſtoli ſententia ſint inexcuſabiles, quia quis glorificarent Deum, quem ex Creaturis cognoſcere poterant, eas in Creatoris loco venerabantur, & abdebant ſe nequiſſimis flagitiis, quæ in illis omnem pietatis ſenſum extinguebant. *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum ſenſum.* Omnes hæ oppoſitiones in S. Dionyſii perſona reperiebantur. Potens erat auctoritate, quippe unus erat ex prioribus Magiſtratibus ſupremi Athenienſium Tribunalis; habebatque aliam oppoſitionem fere inſuperabilem, quod unus erat ex Sapientibus Græciæ. Itaque ejus converſio haberi poteſt tanquam gratiæ miraculum.

Rationes congruentiæ propter quas Deus S. Dionyſiū elegit inter tot alios Athenienſes.

Præſupponimus nullam naturalem corporis, vel animi perfectionem ullum mereri poſſe donum ſupernaturale, & quidquid eſt mere in ordine ſupernaturali, mereri non poſſe quidquid in ordine gratiæ, quemadmodum alias ſancitum fuit in Conciliis contra Pelagianos. Aſſerere tamen poſſumus, Deum ſæpe rationem habuiſſe naturalium qualitatum eorum, quos ad ſupernaturalia deſtinat miniſteria. Gratia non ſolum naturam non deſtruit, ſed perficit, ſecundum modulum, atque captum, quem nanciſcitur, attollens illam ad ſtatum perfectiorem. Ita, S. Thomas ait, Angeli ornati fuerunt gratia, & gloria, ſecundum menſuram naturalium eorumdem perfectionum. Cum igitur Deus corporis, animique dona tribuit alteri, videtur hæc eſſe ratio, quia hoc utilius uti velit ad gloriam ſuam; quemadmodum in S. Paulo videmus, qui ad Apoſtolatum non communi via fuit evocatus; ad hoc, uti videtur, ut adhiberet ingenium ſuum prorſus ignitum, atque ardens, ut firmius inter gentes ſolidaret Evangelium. Non ideo tamen aſſerere velim, Deum teneri, ut hac ſemper utatur ratione, cum liquet, illum operari poſſe magna, licet infirmis utatur inſtrumentis, & ipſum ex lapidibus educere poſſe filios Abrahæ. Verum a veritatis ſpecie non abhorret, Deum, cum decreverit uti S. Dionyſio ob fines altiſſimos, ita nativitatem illius diſpoſuiſſe, ingenium, ſtudia, aliaque bona, quæ natura in illo conſtituerat, ut ſuperveniente gratia facile perficeretur adeo excellens natura; atque inde factum eſt, quod ſublimis hic ſpiritus amator caritatis nequaquam rejecit S. Pauli Doctrinam, licet videretur oppoſita omnibus rationis luminibus, ſed illam ad examen revocavit: nihilque inveniens non dignum fide, non clauſit oculos luci Evangelicæ.

Cur Deus uſus fuerit S. Paulo ad convertendum Dionyſium?

Cum placuit Salvatori efficere, ut lux Evangelii Græcis niteſceret; poterat ille per ſe movere, docere, erudire Dionyſium. Inſerere poterat in mentem illius prima religionis ſuæ ſemina; ſed ſicuti uſus erat Anania, qui voluntatem Dei S. Paulo explicaret, eique divina ediceret juſſa; S. Paulo ſimiliter uſus eſt, ut Dionyſium edoceret, quidquid illi non erat ignorandum. Deus enim ſervare voluit in ordine gratiæ pro hominum converſione, quod obſervat inter Angelos; teſte eodem Dionyſio, ubi Superiores Hierarchiæ lumina ſua impertiunt inferioribus, hiſque Dei mandata communicant hominibus communicanda. Aliaque poteſt afferri cauſſa, propter quam noluerit Deus per ſeipſum, Dionyſium alioſque eruditos viros immediate convertere, quia hoc pacto eorum ſuperbiæ fuiſſet velificatus; ideoque eos humiliare voluit, docens illos miniſterio aliorum hominum, quibus deeſſet auctoritas, poteſtas, & nominis fama, & horum ope tradere illis myſteria ſenſum, rationemque ita ſuperantia, ut a viris doctis anilia haberentur commenta, & fabulæ, quæ nullam fidem merebantur. *Quia in Dei Sapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum; placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.* (*1. Cor. c. 1.*) Hæ potiſſimum ſunt cauſſæ, propter quas Deus in ipſo Eccleſiæ principio, ſæculoque primo, per Apoſtolorum miniſterium operatus eſt converſionem eruditorum, atque potentium mundi, quos inter, dicere poſſumus S. Dionyſium præ ceteris nituiſſe, quia unus erat ex Areopagi principibus, quod tribunal maximo habebatur in pretio: quia in Philoſophicis rebus, ac politiori litteratura nulli ſecundus erat; & quia perſpicax erat ingenium, quod liquet ex illa exclamatione, in quam erupit ad conſpectum Eclypſis, quæ in morte Filii Dei terris univerſis offudit caliginem. De his hominibus, qui in ſcientiis omnibus conſummati ſunt, & qui magnam ſibi comparaverunt auctoritatem, ſcriptum eſt: *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* (*1. Cor. 1.*) Ad eruditos hos homines humiliandos utitur Deus craſſioribus hominibus, & iis qui in ſpeciem imperitiores videntur ad eos convertendos.

Documenta quæ mutuatur Theologia a Scriptis.

Jure dici poteſt, Divinam Providentiam oculos conjeciſſe in Dionyſium, qui jam inter ſuos Theologus appellabatur, propter profundam eruditionem, ut poſt Apoſtolos illum Theologorum magiſtrum conſtitueret: Omnia enim in illo ſunt admirabilia, doctrina, ſtylus, eloquentia. Explicuit nobis, modo prorſus divino, aptiſſimiſque verbis præſtantiſſima noſtræ religionis myſteria. Nemo unquam melius locutus eſt de natura Dei, de perfectionibus, operationibus, eſſentia illius, de perſonarum diſtinctione, deque illarum proceſſione, de Verbi incarnatione, de ejus magnalibus, de amore divino, de illius effuſionibus, effectibus, & proprietatibus. Nemo ordine meliori Hierarchias Angelorum deſcripſit, eorum varietatem, munera, & quidquid ad cæleſtes eas mentes pertinet. Nemo penetravit altius in myſticis Sacramentorum Eccleſiæ ſignificationibus. Nemo diſtinctius finem, & ſcopum variorum rituum aperuit. Nemo clarius Ordines Eccleſiaſticam Hierarchiam componentes diſtinxit. Nemo divinius Sacras Scripturas interpretatus eſt, potiſſimum vero in locis captu difficillimis.

S. Dionyſius Jure quintus vocari poteſt Evāgeliſta.

Qui eminentius loqueretur ſancto Dionyſio de perfectionibus Dei, de iis, quæ operatur in animabus Sanctorum, fuit nemo; & neſcio, utrum illum appellare poſſim quintum Evangeliſtam, quoniam ſupplevit iis, quæ alii in Evangeliis ſuis prætermiſerant. Narrant illi quidem, quod Deus Salvator fecerat ſuper terram in vita mortali; ſed nihil ferme addunt de iis, quæ facit in cælo, & quo pacto ibi adoretur ab Angelis. Hæc abdita ſunt myſteria, quorum tamen cognitio erat neceſſaria. Quid autem divina providentia? S. Dionyſium ſuſcitavit, a quo hæc omnia explicarentur. S. Bernardus loquens de Apoſtolis refert varios fontes, unde ſcientiam ſuam hauſerunt; *Joannes, in corde; Thomas, in latere; Petrus, in ſinu Patris; Paulus, in tertio cælo.* Sed dicere poſſumus Dionyſium ex quatuor his hauſiſſe fontibus; & præcipue magiſtri ſui doctrinæ inhærentem, ab eo mutuatum fuiſſe omnes ſcientias, quas fuerat adeptus. S. Paulus ſcientiam ſuam de Cælo tulit in terram, eamque diſcipulo ſuo Dionyſio communicavit, ut abſolutiſſimum faceret Evangelii præconem.

Deus Dionyſio tria contulit dona, quæ tribuit illis, quos ad gentilium converſionē deſtinavit.

Deus triplici mediorum genere uſus eſt, ut Evangelium conſtitueret in univerſo mundo. Miraculis ad populos convertendos; ſcientia ad evincendos Philoſophos; fortitudine, & conſtantia ad triumphum de Tyrannis referendum. Providentia cum delegiſſet S. Dionyſium ad gentes convertendas, ad pſeudoſapientes confundendos, ad ſuperandos Tyrannos in prædicatione Evangelii, illum tribus donis cumulavit, miraculis, ſcientia, & fortitudine, quæ erant neceſſaria, ut Dei de ſe conſilia adimpleret: Sed ille omnia hæc impendit dona propter ſalutem animarum noſtrarum: *Superimpendar ipſe pro animabus veſtris.* (*2. Cor. 12.*) Videtur etiam ille miraculorum patrandorum facultatem obtinuiſſe, cum ingreſſus Templum inanium Deorum, ſolo aſpectu idola proſtravit; & cum poſtquam viſibilia hæc idola confregiſſet, contrivit quoque inviſibiles eorum reliquias, quæ in imis cordibus permanſerant per enormia flagitia, quæ tunc in mundo dominabantur. Nonne ſe verum ſancti Pauli diſcipulum oſtendit, cum ſcientia prorſus divina illuſtratus triumphat de diabolica ſcientia, qua obcæcati erant Idolorum Sacerdotes, & docet vanos hos, & ſuperſtitioſos Philoſophos profanas ſcientias contemnere, ut Jeſu Chriſti Crucifixi ſcientiam amplectantur? Nonne viſus eſt dignus Filii Dei imitator, quoniam prodiit ante Tyrannorum ſubſellia, quin perterrefieret? cum ad lictorum, & ſuppliciorum aſpectum hilarem tuetur tranquillitatem; & miſſus tanquam ovis intes lupos, non ſolum devoratus non fuit, ſed lupos ipſos in agnos convertit, per converſionem perſecutorum ſuorum, atque Carnificum?

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Ortus, & inſtitutio S. Dionyſii.

Dionyſius in lucem editus fuit octavo, vel nono anno poſt Domini nativitatem, ſumma cura inſtitutus fuit in omnibus ſcientiis, atque ſuperſtitionibus Ethnicorum. Operam dedit ſtudiis in celeberrima illa civitate, quo ex omnibus terrarum partibus præſtantiora confluebant ingenia; quia ibi lycæum erat Græciæ totius florentiſſimum. Omnes ibi ſcientiæ, & facultates præſtabant, inter ceteras vero Philoſophia, atque Aſtrorum ſcientia. Ibi utramque hanc ſcientiam aſſecutus eſt, atque ut ſe in Mathematicis quoque ſtudiis perficeret, ſe contulit Heliopolim. Hac in urbe vidit ille admirabilem illam Solis Eclypſim, quæ in morte Salvatoris accidit. Intellexit ſtatim Dionyſius extra naturæ leges eſſe illum Solis defectum, quo in ſtuporem raptus exclamavit: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvitur.* Athenas reverſus ibi floruit ſapientiæ, eloquentiæ, ac ingenii laude. Delati ad illum fuerunt primi urbis magiſtratus, quin ulla haberetur ratio teneræ ætatis, & brevi viſus eſt unus ex primis Areopagi judicibus. Hoc celeberrimum erat Græciæ Tribunal, & addi etiam poteſt Terrarum omnium. Sexcentis in locis jactat hiſtoria integritatem eorum, ex quibus conſtabat. Romani ipſi tanti illud faciebant, ut complures ambiguas, ac difficiliores cauſſas ad illud dijudicandas mitterent, & ſibi honori vertebant, ſi in corpus illud admitterentur. Auguſtum hoc,

hoc, atque inſigne Tribunal maxime florebat, cum S. Paulus Athenas acceſſit. Civitas illa tunc reliquis præſtabat cum propter ſcientias, quæ tradebantur, tum propter multitudinem diſcipulorum confluentium, & magiſtrorum, qui ex omnibus Romani Imperii partibus ſeſe conferebant. Hæc erat veluti generalis Academia omnium præſtantiſſimarum ſcientiarum; neque poterat S. Paulus ſibi eligere locupletius theatrum, ubi nunciaret Evangelium, neque locum ubi curioſius nova dogmata exciperentur, potiſſimum vero dum ageretur de Religione; nam ſcientiis profanis hoc proprium ineſt, ut qui magis tument, ſe Deos eſſe putantes, ſint ſimul cupidiſſimi cognoſcendi reliquos Deos, qui in variis terrarum plagis coluntur, & invocantur. P. *Croiſet*,

Quomodo S. Dionyſius Areopagita converſus fuerit a S. Paulo?

Dionyſius fuit S. Pauli trophæum; & tantus Diſcipulus adeo illuſtrem magiſtrum decebat. Hic triumphus de Idololatria referri non poterat, niſi ab Apoſtolo, quem ſigillatim pro Gentium converſione deſtinaverat Deus. Athenæ Ethnicæ ſuperſtitionis, non ſecus ac ſcientiarum ſedes erat. Impietas ibi cum Philoſophia dominabatur; quæ illam debebat evertere, arma ſuppeditabat, ut ſemet conſervaret. Clam docebat illa, unum eſſe Deum, ſed palam patiebatur cultum complurium Deorum: ſibi lumen aliquod reſervabat, & populum in tenebris relinquebat. Mors Socratis, qui damnatus capite fuit tanquam Atheus, quia Dei unitatem tuebatur, os claudebat iis, qui in illius ſententiam diſceſſerant. Sapientes popularem in religione cultum ſervabant, & inaniſſimas fabulas in myſteria convertebant. S. Paulus ferens Evangelium in hanc regionem tenebrarum, quotidie contra Epicureos, ac Stoicos decertabat. Illi negabant immortalitatem animæ, negabant omnis Religionis principium, & illud per ſe poterant refutare. Nomen eorum ipſis odium conflabat; neque eamdem in populo fidem nanciſcebantur, quam Zenonis diſcipuli. Vitæ auſterites quam iſti profitebantur, majorem iis venerationem conciliabat: ſed placitorum ſuorum ſuperbia eos non minus inimicos reddebat Evangelio. Rumor diſputationum, & prædicationis S. Pauli perlatus fuit ad Judices Areopagi; a quibus in judicium vocatus Apoſtolus, rationem reddidit doctrinæ, quam prædicabat, admirabili, diſertiſſimoque ſermone. Exordium duxit ab epigraphe aræ cujuſdam, quam in urbe invenerat, hoc titulo: *Deo ignoto, vel ignotis Aſiæ, Africæ, & Europæ numinibus.* Athenienſes quidem ſatis non eſſe rati venerari idola in regione ſua cognita, aram illis etiam ponere voluerunt, quæ minime noverant, quaſi veriti fuiſſent, ne ſatis eſſent in ſuis ſuperſtitionibus nequam. Ex Apoſtoli auditoribus quidam ne animum quidem adverterunt ad eas veritates, quas nunciabat; alii irriſerunt illum, de mortuorum reſurrectione loquentem; alii in aliam diem ſe illum audituros dixerunt, & pauci quos inter Dionyſius Evangelium acceperunt. Hic inter Areopagitas, ſcientia, & integritate eminebat. Audienti Apoſtolum de Filii Dei morte loquentem, ſuccurrit illi eclypſis illa admirabilis, quæ acciderat cum olim Heliopoli degeret, propter quam dixerat, ut jam ſuperius adnotatum eſt, vel Deum naturæ pati, vel mundi machinam diſſolvi. Ex temporis momento ſummus ille vir confeſſus fuit veritatem, quin illam cognoſceret, ſed quam cognovit, & credidit per Apoſtoli prædicationem. *Godeau*.

Quis eſſet S. Dionyſius ante converſionem ſuam?

S. Dionyſius ante converſionem ſuam fuit potens in Mundo, & in humanis litteris eruditus, ita ut in eo omnes invenirentur obices, de quibus verba fecimus. Sed nihil impoſſibile Deo volenti ſimul efficere, ut ignominia Crucis triumphum referret de gloria Senatoris ampliſſimi ejus civitatis, quæ facile princeps erat Græciæ totius; & Doctrinam Evangelicam de mundana Sapientia ejus viri, qui inter ſæculi ejus eruditos eminebat. Dionyſius igitur non erat ex plebe, ſed unus ex duodecim conſcriptis Patribus Areopagi celeberrimi illius Senatus, qui ſua auctoritate univerſam regebat Athenarum Rempublicam, & cujus deciſionibus plures externæ gentes difficillima quæque negotia committebant. Igitur potens erat, divitiis affluens, non vulgaris eruditionis, diſertus Orator, inſignis Philoſophus, præſtans Juriſconſultus, Magnus Politicus. Iter ſuſceperat in Ægyptum, & ibi Aſtronomiæ operam dedit. Fortaſſe ex narratione illius, quam ipſe habuit de illa admirabili Eclypſi, arrepta fuit anſa tribuendi eidem verba, quæ a nobis alibi allata fuerunt; quæ nonniſi divino afflatu potuit dixiſſe: cum enim nondum ullam haberet Incarnati Verbi cognitionem, exiſtimare non poterat, Deum pati poſſe. Sed cum ceteroquin magnus eſſet Philoſophus, ac videret totum Ordinem naturæ ſus deque perturbari in duobus iſtis ſyderibus, a quibus pendet mundi Machina, conjectura aſſecutus eſt, Deum, qui eorum Auctor erat, pati, quod tamen fieri non poterat, vel univerſum ad ſui exinanitionem tendere. Vir igitur tanta dignitate, ac ſcientia præditus, facile ad primam S. Pauli Prædicationem perſuaderi paſſus eſt, & unus ferme fuit inter tot alios variis ſectis addictos eruditos viros, qui eadem, ac ille, audierunt, qui victas dederet manus veritati. *P. Duneau.*

Eloquens ſermo Sancti pauli in Areopago trahit Dionyſium ad Salvatoris ſequelam.

Sermo, quo S. Paulus Dionyſium Areopagitam ad fidem J. C. convertit, fuit ſane ex eloquentiſſimis Sermonibus, quos ille pronunciaverit. Apoſtolus hic Athenas ingreſſus compendiariam inſtituit hypotypoſim adorabilium perfectionum Dei, quem annunciabat; oſtendit magnitudinem, & infinitam immenſitatem contineri non poſſe anguſtiis Templorum humana manu ædificatorum, humanum genus nihil eſſe, niſi poſteritatem hominis unius per illius omnipotentiam creati, Cælum terramque opus eſſe unius Verbi ab illo prolati: nos quin illum tangamus, videamus, agnoſcamus, in ipſo vivere, operari, & ſubſiſtere; magnum errorem eſſe illum ſibi fingere, ſub ligneis, vel æneis ſimulacris. Illum tantæ cæcitatis miſertum ſuſcitaſſe ſibi Miniſtros ſpiritu ipſius inflammatos, ut hortentur homines ad pœnitentiam ſuæ impietatis. Ab illo præſtitutam eſſe diem, qua univerſum terrarum orbem judicaturus eſt; ipſum prolaturum edicta juſtitiæ ſuæ per os adorabilis Filii ſui mortui, & poſt mortem ad vitam reverſi propter ſalutem hominum: Redemptionis opus conſummari non poſſe, niſi Redemptoris divinitas cognoſcatur; & niſi ejurato Idolorum cultu vero Deo adhibeatur honor ille, quem ſibi Dæmon adſciverat. Eorum plures qui aderant S. Pauli verba in jocum verterunt, alii fidem illis habuerunt, inter quos S. Dionyſius fuit celeberrimus, & privata colloquia, quæ habuit cum Apoſtolo, aperuerunt oculos illi, & omnimodo in Jeſu Chriſti caſtra tranſtulerunt. Ethnicis ſuperſtitionibus vale dixit, bona, & honores ſuos reliquit, ut unum ſequeretur Dei Filium, & obſtupuit cum audiit a S. Paulo, Salvatoris mortem cauſſam extitiſſe admirabilis Eclypſis, quam in Ægypto fuerat intuitus. *Ex Specimine Panegyricorum.*

S. Dionyſius multum proficit ex documentis S. Pauli qui judicat illū dignum Athenienſi Epiſcopatu.

Dionyſium perfecte edoctum S. Paulus baptizavit, & accurate inde efformavit unum ex cariſſimis ſibi Diſcipulis. Communicavit illi omnia ſupernaturalia lumina, quæ ille ipſe hauſerat in ipſo fonte, cum ad tertium uſque Cælum raptus fuit, eumque in abſolutiſſimum vitæ myſticæ Magiſtrum convertit. Creditur Sanctus Dionyſius comes acceſſiſſe S. Paulo in omnibus itineribus ejus ad triennium; cumque in ſingulos dies Fidelium numerus creſceret, placuit Apoſtolo illum in Athenienſem Epiſcopum conſecrare. Credidit ille, ſe novæ hujus Eccleſiæ curam præſtantiori Epiſcopo committere non poſſe, quam novo huic Chriſtiano, quem magiſtrum ſimul & Diſcipulum finxerat. Tanto igitur Magiſtro cum efformatus ille fuerit, facile eſt intelligere, quænam illius fuerit ratio, zelus, & vita in Epiſcopatu. Nemo umquam Epiſcopus melius primos Apoſtolos imitatus eſt. Vita ejus imago fuit vitæ eorum; eadem innocentia, eadem pœnitentia, fervor idem. Cum Deus ſingulari dono illuſtraſſet mentem hanc ſuapte natura ſublimem, atque perſpicacem, S. Dionyſius evaſit in maximum Doctorem, & inſignem aſceticæ vitæ miniſtrum. Intimæ communicationes, quas habebat cum Deo, eminens donum contemplationis, ſcientia prorſus divina: hæc omnia patent ex admirabili ejuſdem libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, in alio de divinis nominibus, ac in ceteris. Ejus vitæ ratio compoſita erat ſecundum lumina ipſius, & in Athenienſis Eccleſiæ regimine innotuit Sanctum hunc Præſulem Dei ſpiritu regi, & gubernari. Numquam viſa eſt caritas, quæ latius ſeſe protenderet, & majori ferveret ardore: numquam viſus fuit zelus magis generoſus, ac univerſalis, nullus amor integrior erga Dei Filium. *P. Croiſet.*

Magna quidem facta eſt acceſſio gloriæ Chriſtianæ Religioni ab Idololatria avellere hominem adeo præſtantem, qualis erat Dionyſius, ut Ethnici excitarentur ad exemplum illius imitandum; & qui nullam prætexere potuiſſent excuſationem, quandoquidem unus, qui inter illos maxime celebrabatur, omnia lumina ſua, ſuamque dignitatem Evangelicæ humilitati ſubjecerat. Et ſicut magni momenti fuit ad Judæos convertendos, ubi viderunt zelotem Legis ſuæ obſervatorem non aliam amplius, niſi Evangelicam legem prædicare; ſimili ratione S. Dionyſii converſio magni ponderis fuit apud Athenienſes. Duplici converſione hac Deus evertit duo firmiſſima, alterum quidem Judaicæ, alterum vero Ethnicæ Religionis præſidia, eaque in firmiſſimas Eccleſiæ columnas convertit. Illud autem in hac S. Dionyſii converſione admirabilius eſt, quod nullam viderit Prophetiam, ubi ſermo fieret de Jeſu Chriſto, neque aliud miraculum, quo divinitatis ejuſdem fides probaretur, neque ullum exemplum Confeſſorum, vel Martyrum, qui Chriſtianam fidem ſuam proprio ſanguine obſignaſſent; nec aliquod teſtimonium eorum, qui vel genere, vel eruditione præſtarent, & qui cum laude de eadem verba feciſſent. Nullum ex his fidei argumentis, propter quæ ipſi credimus, illum impulit ad credendum; tamen fidem addidit verbis S. Pauli, & doctrinæ ejus adhæſit: cum econtra poſt tot Prophetias, quæ per Judæorum manus in noſtras migrarunt; poſt tot miracula, inter quæ vix credi poteſt pleraque vera eſſe; poſt decies centena millia Confeſſorum, Virginum, Eremitarum, Martyrum, Doctorum, Epiſcoporum, Regum, Imperatorum, quæ fidem amplexa fuerunt, & quorum non pauci ſacrificaverunt vitam, dignitatem, bona, & voluptates ſuas, ut illam tuerentur; dubitamus adhuc de fide noſtra, & ambigimus, utrum in iis, quæ in controverſiam vocantur, rationes hinc inde fuerint expenſæ! *Ex P. Duneu & Elogiis Hiſtoricis.*

Primum objectum zeli S. Dionyſii, eſt civitas Athenarum, & ager illi Reiplublicæ ſubditus.

Primum zeli S. Dionyſii theatrum fuit civitas Athenarum, ubi divina Providentia illum in lucem prodire juſſerat; hoc enim primum fuit objectum miſericordiæ illius erga gentem ſuam, quæ æque ac ipſe in Ethnicæ Religionis erroribus erat involuta. Numquid illum vobis exhibeam a Sancto Paulo conſecratum Epiſcopum celeberrimæ illius Reipublicæ curis, laboribuſque colentem fidei ſemina, quæ magnus ille Apoſtolus jecerat inter ſpinas, quibus infelix ea civitas ſepta erat, evertentem fallacia Sophiſtarum acumina, detegentem decla-

declamatorum vanitatem diſſipantem populorum inſcitiam, adjicientem ardori zeli ſui vitæ auſteritatem, expiantem lumina ſcientiæ profanæ occupationibus vitæ Apoſtolicæ, jacientem fidei fundamenta ſuper rudera Idololatriæ; crucem Filii Dei ſuper reliquias everſorum numinum, & ubique trophæa victrici Eccleſiæ attollentem? *Ex Specimine Panegyricarum Orationum.*

S. Dionyſius, cum alium in Athenarum Epiſcopum conciliaſſet a S. Clemente mittitur in Galliam.

S. Dionyſius, cum Athenarum Eccleſiam confirmaſſet, quæ jam frequens erat, ac roboraſſet fidem eorum, qui Chriſtianæ militiæ nomen dederant, atque ſcitum, zeloque ferventem orientem Eccleſiæ præfeciſſet Antiſtitem; audiiſſetque ſancto Joanni Evangeliſtæ datam copiam diſcedendi ex Inſula Patmos, quo propter fidem fuerat ablegatus, eumque Epheſum commigraſſe, illum convenit, & poſt plurimas habitas invicem collationes ab eodem admonitus neceſſitatis extremæ, qua maxime Partes Europæ indigebant Apoſtolicis operariis, illo auctore Romam petere cogitavit, ut S. Clementi Papæ ſeſe ad illam maximi momenti Miſſionem offerret. Dionyſius igitur cum Publicium a S. Paulo converſum fidelibus Athenarum dediſſet Epiſcopum, illum certiorem feciſſet de ſtatu ejus Eccleſiæ, eumque conſecraſſet, Romam iter inſtituit, ipſum comitantibus Ruſtico Presbytero, & Eleutherio Diacono duobus itinerum, laborumque ejus fidelibus ſociis. Sanctus noſter a S. Clemente benigne exceptus ea caritate, quæ arctiſſimis vinculis corda virorum Apoſtolicorum connectit, Sancto illi Pontifici ſuum expoſuit conſilium, eumque obteſtatus eſt, ut ſibi Miſſionis locus conſtitueretur. Summus Pontifex eodem illuſtratus ſpiritu, eodemque zelo ſuccenſus, miſit illum in Gallias, ubi Ethnica ſuperſtitio imperioſius dominari videbatur propter craſſam ignorantiam, in qua populi verſabantur. Illuc cum ſociis, aliiſque egregiis miniſtris, quos Clemens illi addiderat, ſe contulit, ut incultam vineam exerceret, & nationi illi Evangelium prædicaret. *P. Croiſet.*

S. Dionyſius Pariſios venit, ubi prædicat Evangelium, & magnum populorum numerum convertit.

Sanctus noſter a Summo Pontifice Clemente juſſus in Gallias proficiſci, ibique Gentium illarum converſioni vacare, præ ardenti cupiditate latius proferendi regnum Jeſu Chriſti, quam citiſſime fieri potuit corripuit viam. In vaſta regione illa Ethnica ſuperſtitio impotenter triumphabat, & populi ita erant in craſſa ignorantia ſepulti, ut indigerent tali Evangelici Verbi Miniſtro, qualis erat Dionyſius, ut ex illius tyrannide, & jugo educeret, excoleretque miſeram illam regionem. Tunc præter propter centeſimum agebat annum; ſed defectum virilitatis, quam labor ille poſcere videbatur, ſupplebat gratia. Iter igitur ingreſſus eſt, Ruſtico, & Eleutherio comitibus, quorum alter Sacerdos erat, Diaconus alter. Poſtquam ſecus viam pluribus populis annunciaſſet Evangelium, Pariſios tandem pervenit, ubi tanta vehementia, atque tot prodigiis Evangelii veritatem probavit, ut magnus mortalium numerus inanium Deorum cultum abdicaverit, ut novum hoc lumen ſequerentur, & amplecterentur fidem. Præconis Evangelici vita non minores habebat vires, quam ignea verba, & qui propius illam conſiderabant, cenſebant illam ſufficiens eſſe teſtimonium veritatis, quam prædicabat. Quamprimum immutata eſt Lutetiæ facies, & quæ civitas erat ſuperſtitioſa, & infidelis, facta eſt religioſa, juſta, tranquilla. Qui Evangelici Oratoris doctrinam calumniabantur, non poterant mores illius, vel Diſcipulorum ejus calumniari. Mutatio, quæ videbatur in urbe, non poterat non eſſe effectus divinæ potentiæ, quæ utebatur Dionyſio Areopagita, ad illuſtrandam ejus Regni Metropolim, quod Chriſtianiſſimi nomine hodie inſignitum eſt. O Gallia! auferemus ne tibi gloriam, quæ tibi ex eo cedit, eo quod habueris hunc eumdem S. Dionyſium in Apoſtolum? Non ita fideles. Patres noſtri ad fidem ejus miniſterio converſi, Idola ipſius manu in Arelatenſi urbe proſtrata, Epiſcopalis Eccleſiæ fundamenta in urbe Regni hujus Principe poſita, facta ſunt ſatis glorioſa S. Dionyſio Areopagitæ, ut illi hic honor acceptus referri minime valeat; & filiis nimis jucunda, ut memoriam eorum minime velint inſtaurare. Mons celebris irrigate ſanguine generoſi hujus defenſoris fidei, Auguſta Templa ad gloriam nominis ejus ædificata, cineres Regum noſtrorum ad reliquiarum ejus pedes ſepulta; ſollemnitas horum dierum tot ab hinc ſæculis conſecratorum in honorem ejus, vos illi pro nobis gratum, publicumque perhibetis teſtimonium eorum beneficiorum, quibus ab eo fuimus cumulati; & ejus gloriæ magnificentius elogium exornatis, quam cetera ſimul. Verum me ſubſiſtere cogitantem in tanta diverſorum miraculorum turba, quæ caritas ardens S. Dionyſii menti meæ objicit, terribilis apparatus, quem in hoc intueor amphitheatro, me cogit exhibere vobis cruciatus omnes, quos paſſus eſt, & mox glorioſam ejuſdem mortem deſcribere. *Ex ſpecimine Orationum Panegyricarum.*

Progreſſus Chriſtianæ Religionis ſtuporẽ eient in ſacerdotibus Idolorum qui de re hac apud Prætorem conquerentur.

Jam Chriſtiana Religio Pariſiis inſtituitur; jam ibi vero Deo templum ædificatur; jam Apoſtolus noſter Clericos, & Presbyteros ad ſacros Ordines evehit; jam magnus iſte vir, quem Eccleſiæ Patres ſemper tanquam Apoſtolorum Heredem duxerunt, efficit, ut ibi verus Deus adoretur; jam Sanctus hic Paſtor, opem ferentibus ſociis Ruſtico, & Eleutherio gaudio perfunduntur videntes populos ab Idolorum cultu recedere, ut Salvatorem mundi totius venerentur. Sed Miniſtri Satanæ, Sacerdotes cultores Idolorum indignantes Deos ſuos contemni, Patrum ſuorum Religionem antiquari, & aboleri ſacrificia, quæ in ipſorum lucrum cedebant; detulerunt ad Præſidem, & Magiſtratus hos novos homines tanquam rebelles Cæſaris imperio, & everſores cultus Deorum ſuorum, qui ubique gentium colebantur. *Elogia Hiſtorica.*

Prætor jubet S. Dionyſium cum ſociis in carcerem trudi.

Præſes commotus queſtubus, qui undequaque auribus ſuis incidebant, contra Chriſti fideles præcipit, ut eorum capita conjiciantur in carceres. Statim capti fuerunt S. Dionyſius, Ruſticus, & Eleutherius, qui apud Feſcennium deducti ſunt. Qui cum re adhuc integra nihil prætermiſiſſet, non pollicitationes, non minas, ut vel illecebris, vel terroribus dimoveret S. Dionyſium, ſocioſque ejus, & nihil profeciſſet, omnes in tetrum carcerem conjici juſſit, eorumque cruribus, & brachiis ſuperimponi immanes lapides juſſit, ut hoc ſupplicio conſtantiæ eorum periculum faceret. Non diu in ſtatu hoc permanſerunt; illos ad ſe adduci juſſit tyrannus, qui videns ex generoſo S. Dionyſii reſponſo ſe nihil profecturum, edixit ut flagellis ferreis aculeis præfixis cæderentur. Dignum ſane erat ſpectaculum oculis Angelorum, videre Venerabilem Dionyſium, cujus ætas ſextum præter centeſimum annum attigerat, concinentem Dei laudes dum crudeli hoc ſupplicio afficeretur. Præſes tantam S. Dionyſii conſtantiam miratus, decrevit illum ſæviſſimis quibuſcumque ſuppliciis torquere. Paucis poſt diebus præcepit Tyrannus, ut ad ſe Dionyſius adduceretur; cumque non potuiſſet ejus labefactare conſtantiam, juſſit illum ferreis ungulis laniari, & mox ardenti craticulæ imponi, quo ſupplicio affectus fuit ſanctus Laurentius Martyr, quin crudelis ille cruciatus poſſet hominis fatigare patientiam. Objectus fuit Leonibus, ut ſanctus Ignatius, & furentes illæ belluæ, quæ data opera jejunæ per dies aliquot fuerant relictæ, Sanctum hunc Apoſtolum violare auſæ non ſunt, tamen nonnihil formidinis conjecerunt in illum. Verum non ideo deferbuit Tyranni ſævitia; qui juſſit, ut Sanctus noſter cruci affigeretur, ut olim S. Petrus, & ex illa dolorum cathedra non ceſſabat Evangelium prædicare, magno cum aſtantium ſtupore, & hoc facto illos docuit, ne mortem quidem vim habere illi ſilentium indicendi. Præſidis vero barbaries cum potius fatigaretur torquendo Sanctum hunc, quam ille perferendo, præcepit, ut huic amputaretur caput. quod illico adimpletum fuit. *Elogia hiſtorica, & P. Senault Oratorii.*

S. Dionyſius ratione invenit duo oppoſita deſideria conciliandi.

Cor S. Dionyſii duplici diſtrahebatur deſiderio, moriendi quidem pro Jeſu Chriſti gloria, & deſiderio vivendi propter Galliarum amorem. Impatienti æſtuabat amore vitam pro vita reddendi, ſanguinem pro ſanguine, ut loquitur Tertullianus; verum ſimul optabat vitam ſibi neceſſariam, ut omnia illius momenta conſecraret converſioni populorum, ad quos miſſus fuerat, & Evangelicæ prædicationi. Artem ille nactus eſt, qua utrique huic ſatisfaceret deſiderio, quæ tamen inter ſe videntur oppoſita, quoniam in ipſa morte ſervat vitam, & ex corpore ſuo tradito furori carnificum facit, ut Apoſtolus ait: *Hoſtiam viventem*, victimam in ſuppliciis immolatam, ſimulque victimam conſervatam in ſuppliciis, quæ ſuſtinet, ut operetur ſalutem animarum per virtutem verbi, & exemplum martyrii. Corpus ejus erat Hoſtia moriens, quæ ſeipſam ſanctificat per ſuorum carnificum converſionem. Prædicabat inter cruciatus, inter leonum ungues, inter prunas ardentes, atque in cruce; permiſit enim Providentia, ut illuſtris hic martyr vitam ſuam ſervaret adhuc poſtquam omnia hæc diverſa perpeſſus fuit ſupplicia, ut illius prædicationi fieret virium acceſſio. Quis enim potuiſſet reſiſtere hortationibus hominis, qui egreſſus ex feriſſimarum belluarum gutture immani, & cruci ſuffixus conjungeret vocem ſanguinis ſui cum voce verborum, & adeo glorioſis teſtimoniis confirmaret veritates, quas populis annunciabat? Poterat ille quidem Gallis omnibus dicere quod olim ſanctus Paulus dicebat fratribus ſuis, *Quotidie morior propter gloriam veſtram.* (1. *Cor.* 15.) Si ageretur de ſola Dei gloria, quamprimum illi vitam meam conſecraſſem, ſed quoniam mihi agendum eſt pro ſalute veſtra, opus eſt, ut ad veſtram utilitatem curam geram vitæ illius, ſine qua ſequi minime poſſum motus zeli mei, & ardentis caritatis, qua vos complector. *Quotidie morior propter gloriam veſtram. Ex Specimine Panegyricorum.*

Conſideratio de Sancti hujus martyrio.

Numquid uſpiam tot cruciatus expediti fuere, morteſque plures, ut omnibus ſimul Martyr unus torqueretur? Nonne flammæ illum debebant abſumere, niſi Dei potentia reſervaſſet illum de aliis ſuppliciis triumphaturum? Nonne feræ illum vorare debebant, niſi voluiſſet Deus mortem illius multiplicare, ut omnes magis, magiſque illius conſtantiam admirarentur? Crux quæ æque crudelis, ac turpis eſt, nonne perficere debebat, quod alia ſupplicia experta inutili fuerant conatu? Et niſi voluiſſet Dominus confundere carnifices copia miraculorum; nonne Sancto huic Martyri licuiſſet vitam effundere eodem tormentorum genere, quo ille effuderat ſuam? Verum ſi minime cenſetis hæc ſupplicia pro mortibus habenda fuiſſe; & ſi minime creditis, Martyrem unum toties illam fuiſſe perpeſſum, quoties in craticula poſitus fuit, aut leonibus objectus, aut cruci ſuffixus; fateamini ſaltem deſiderium illi non defuiſſe toties moriendi, quoties diverſis cruciatibus fuit tortus. Fingite vobis Martyrem vulneribus confectum, cujus caro ſemiuſtulata ſit flammis, cujus artus fuerint leonum dentibus dilaniati, cujus pedes, manuſque clavis perforati ſint, quibus fuit Cruci confixus, nonne fatendum eſt omnem Imperatorum, qui terras domuerunt, gloriam cedere debere gloriæ Sancti Apoſtoli noſtri, & præſtantiſſima ſummorum mundi hujus virorum evaneſcere, ubi conferantur cum præclaris Sancti hujus victoriis; quandoquidem tot promeruit triumphos, quot vicit Tyrannos, & quot cruciatus exhauſit? *P. Senault Oratorii.*

Prodigium quod accidit in morte S. Dionyſii.

Cum magnus hic Sanctus in Apoſtolicis laboribus conſenuiſſet, cum novam hanc Eccleſiam inſtituiſſet, confirmaſſetque verbis, & exemplis; cum omnia ferme tormentorum genera fuiſſet perpeſſus, quæ perſecutorum rabies potuerat excogitare, contingit illi coronam abſolutiſſimæ perſeverantiæ cum illa glorioſi martyrii conjungere. Et ſi Deus operatus eſt miracula in gratiam Sancti hujus viri, longe majus prodigium edidit, ut gloriam martyrii ſui efficeret celebriorem, & ut conformaret fidem patrum noſtrorum, quam Apoſtoli noſtri mors poterat labefactare. Cum enim carnificis gladius venerabile caput amputaſſet, Sanctus hic noſter accepit illud in manibus ſuis, & geſtavit illud ad non breve itineris ſpatium, ad locum, ubi modo poſita eſt Abbatia de ejus nomine nuncupata: ſibimet quodammodo ſuperſtes, & ut ita dicam, ferens in triumphum reliquias ſuas. Utinam in orationis meæ exitu liceret mihi, in manibus ſumere hujus Apoſtoli caput, illudque oſtentare Præſulibus, ut illos eodem ſpiritu animarem, quo magnus hic Epiſcopus animatus fuit. Illud producerem etiam coram eruditis viris, ut ſeſe gererent ſecundum lumina inſignis hujus viri, & Evangelici Præconis. Illud exhiberem Judicibus: ut perſuaderem illis ut vellent ſua uti auctoritate ad ſervandam Religionis ſuæ gloriam, & ei jus ſuum permittendi. Fidelibus omnibus dicerem, quibus contigit honor excipiendi Evangelium ex ore Sancti hujus, hunc futurum eorum Judicem, niſi in praxim redegerint ea documenta, quæ illis reliquit. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum, & ex Biroat.*

Quantum S. Dionyſio debeamus.

Noſtrum eſt teſtari Sancto huic humilem gratiarum actionem propter infinita ejus erga nos promerita. Non ſolum ille primus in hoc Regno nunciavit Evangelium, ſed ſæpe etiam tutatus eſt ab Infidelium, populorumque barbarorum incurſibus. Sæpe pro Galliæ Regibus decertavit, effecitque ut de hoſtibus ſuis triumpharent nonnunquam etiam in conclamatiſſimis occaſionibus, ideoque in grati animi monumentum eorum plerique relatas de inimicis exuvias huic Sancto devoverunt, & ad pedes reliquiarum illius voluerunt contumulari. Attendite hujus beneficii magnitudinem, nobis lumen Evangelii affulſiſſe opera Sancti hujus: & quænam eſſet econtra noſtra calamitas, ſi nati, & regenerati minime fuiſſemus favore lucis hujus, quam nonniſi vitæ ſuæ jactura attulit nobis? Non ergo decidat ex memoria noſtra tale beneficium, & in omnibus, quæ occurrere poterunt dubitationibus confugiamus ad Apoſtolum noſtrum, iterum noſmet illius patrocinio muniamus, ſi illius auxilio recentes obtinere gratias inquirimus. *Pater Duneau.*

Quomodo S. Dionyſium imitari valeamus.

Quid igitur reliquum eſt, quod vobis dicamus, niſi quod ut perfecte magnum Sanctum hunc imitemur, nobis vivendum eſſe ſecundum fidem, quam nobis annunciavit; nobis efficienda eſſe opera digna vocatione noſtra; nobis adimplendum eſſe opus fidei, quemadmodum dicit S. Paulus; nam fruſtra nos fidem habere gloriabimur, niſi illam confirmaverimus operibus noſtris; nam argumentum fidei noſtræ ſolidiſſimum æque ac caritatis ſunt opera. Quid enim prodeſt noſmet fideles in profeſſione noſtra oſtendere, ſi infideles fuerimus in moribus noſtris? Ut vere ſimus fideles, opus eſt, cum S. Dionyſio, geſtare caput noſtrum in manibus noſtris, videlicet actibus noſtris fidem noſtram probare: quia fides, ex S. Jacobo, mortua eſt ſine operibus; quod David Propheta aliis ait verbis, animam ſuam ſemper fuiſſe in manibus ſuis, ideoque ipſum Dei legem ſemper obſervaſſe. Hoc pacto magnum Dionyſium poſſumus imitari; eumque imitantes ſecundum vocationem noſtram ſperare poſſumus fore, ut ejus patrocinio protegamur, & in partem accedamus gloriæ immortalis, quam inſignibus virtutibus ſuis, & generoſa morte eſt adeptus. *Idem.*

PRO SANCTI MATTHÆI APOSTOLI, ET EVANGELISTÆ, PANEGYRICO.

MONITUM.

LIquet ſatis ſecundum conſilium, quod mihi re adhuc integra propoſueram, S. Matthæum non eum obtinere locum, quem habere debebat inter Panegyricorum argumenta. Illum equidem collocaſſem in Tomo Primo, ubi de illis Sermo eſt, de quibus loquitur Scriptura; niſi coactus fuiſſem, quandoquidem de omnibus verba fieri minime poſſunt, eos deligere de quibus vulgatius verba fiunt: verum cum admonitus fuerim, licet ea temporis pars, qua Feſtus dies S. Matthæi colitur, parum ſit ſermonibus audiendis idonea, tamen in Gallia, alibique plures Eccleſias eſſe, in quibus tanti viri celebratur elogium; credidi mihi reparandam eſſe omiſſionem, ſuppeditando ſupellectilem neceſſariam ad exornandum Panegyricum ea die, qua Eccleſia hanc recolit ſollemnitatem.

Neque mihi negotium faceſſit hanc invenire copiam; nam quin illa attingam quæ ſunt cum aliis Apoſtolis communia vocatio eius non communis, celebritas vero admirabilis, qua ille reſpondit vocanti, Sanctum Evangelium, quod ille primus compoſuit, ut ubi egregie aperit nobis præcepta Filii Dei, & ea quæ præſtantiſſimi Auctores nos docuerunt de illius miſſione, & cauſſa mortis, argumenta ſunt ſatis diſtincta, quæ illius peculiarem conſtituunt characterem, & ſatis uberem campum aperiunt, per quem late ſpatiari licet, & utilem, eruditumque Panegyricum exornare.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Sermonum hujus Argumenti Syſtemata.

Cum tranſiret Jeſus vidit hominem ſedentem in Telonio Matthæum nomine, & ait illi: ſequere me: & ſurgens ſecutus eſt eum. Matth. 9.

I. HÆc verba ſunt Matthæi ipſius, qui in grati animi monumentum, narrat magnam illam Miſericordiam, quam erga ipſum Jeſus Chriſtus exercuit, & omnibus ſæculis aperit miraculum ſuæ converſionis, & vocationem ſuam ad Apoſtolatum. Hic proculdubio fuit unus ex maxime admirabilibus effectis divinæ potentiæ. Jeſus duo tantum dicit verba, eaque dirigit ad hominem, a quo non agnoſcitur; ad eum, qui tantum aderat, ut ad illum audiendum paratus eſſet, ut immo curis, & cogitationibus diſtineretur, quæ prorſus Dei de ipſo conſiliis adverſabantur. Tamen gratia verbis abſcondita, & in oculis Jeſu poſita momento illum mutat: gratia hæc victrix cordium, quæ deinde Sanctum Paulum mutavit, & leonem in agnum convertit; fecit tunc ex peccatore Sanctum, ex feneratore, immo ex *Doctore feneris*, ut Sanctus Chryſoſtomus ait, Apoſtolum, & Evangeliſtam. Ubi animadvertendum eſt pro convertendis communibus peccatoribus Deum communibus uti gratiis: ſed ubi inſignes peccatores convertere vult, eoſque proponere tanquam ſanctitatis, & pœnitentiæ prototypos, tunc non vulgares gratias adhibere. Ita ille ſe geſſit cum Maria Magdalena, ita cum S. Paulo, Auguſtino, aliiſque inſignibus peccatoribus quorum converſiones fuerunt cauſſa æternæ lætitiæ in Eccleſia, ad replendas ſpe, atque ſolatio omnes animas pœnitentes. Sed fatendum eſt, vim hujus divinæ gratiæ, quæ momento mutat corda, ſingulari fulgore enituiſſe in S. Matthæi converſione, quia illum in ictu oculi a peccati ſtatu ad ſtatum gratiæ traduxit; ab avaritia ad Evangelicam paupertatem; a Telonio ad Apoſtolatum.

1. Gratia in S. Matthæo ex inſigni peccatore inſignem Sanctum effecit.

2. Ex homine qui inexplebili obſeſſus erat avaritia, diſcipulum, & imitatorem paupertatis Jeſu Chriſti.

3. Ex Publicano denique Apoſtolum. *Biroat.*

Non veni vocare juſtos, ſed peccatores. Matth. 9. Sanctus Matthæus qui hæc refert Jeſu Chriſti verba, hoc feliciter fuerat expertus: fuerat per profeſſionem, ac ſtatum peccator, eumque ad pœnitentiam Salvator evocaverat: illum etiam in officii ſui munere converterat, quod erat origo omnium ejuſdem peccatorum, & ex ratiocinatore Publicani neſcio cujus ad Apoſtolatus gloriam traduxerat. S. Auguſtinus explicans hæc verba, quæ tantum afferunt peccatoribus ſolatium, ait, Dei Filium non ideo veniſſe, ut juſtos vocaret, eos videlicet, qui ſe juſtos putant, juſtos ſuperbos, & propter inanes virtutes ſuas tumidos, qualis erat Evangelicus ille Phariſæus, qui tantum aberat, quod ſeſe coram Deo humiliaret, ut immo opera ſua bona recenſeret: ſed humiles peccatores, qui clanculum pudore ſuffunduntur ubi ſua intuentur flagitia, qualis erat humilis ille Publicanus, quem Jeſus Chriſtus in Parabola opponit ſuperbo Phariſæo. Felix hic Publicanus fuit glorioſus S. Matthæus, in quo conſiderare poſſumus. II.

1. Vocationem ejus ad Pœnitentiam:

2. Fi-